

SERMO XV.

In Natali Domini IX.

Ex eodem Codice Cass. XII eruitur, fol. 17; unde idem dicendum de isto ac de præcedentibus. Notandum est autem hunc multum concordare cum sermone cxcii, qui Lovaniensibus dubius visus est, et Verlino spurius, Verdingo autem et Maurinis legitimus. Illud autem minime obstat quin hic noster admittatur, cum facile credi possit B. Doctorem de eodem argumento sæpius loquentem aliquando ad easdem rediisse sententias. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini XXII.

SYNOPSIS.

I. Christi Nativitas a Prophetis prænuntiata. II. Christo nascenti gratiæ agendæ. III. Christi venientis in terram misericordia. IV. Christo nascenti adhærendum. V. Exhortatio ad sanctam vitam. VI. In Christi Nativitate omnes exultent.

I. **HODIE**, Fratres charissimi¹, Natalem Christi Domini celebramus; hodie, Fratres, « Veritas de terra orta est, » et justitia de coelo prospexit (a); » hodie Christus Dominus ex carne nasci dignatus est; hodie, lux mundi, redempturus pereuntem mundum, exortus est; hodie sempiterna lux, imo omni luce clarior justitiæ Sol, de virgineo processit utero. Hodie nostra redemptio, hodie nostra salus, hodie « Via, veritas, et vita (b); » hodie hæreditas nostra, hodie regnum, hodie paradus de terra, id est, de beata Maria, Deus Christus editus est. Hodie invisibilis Deitas per carnis susceptionem hominibus se visibilem præbuit; hodie

(a) Psal. LXXXIV, 12. — (b) Joan. XIV, 6.

¹ Vide Serm. cxcii, n. 1.

Deus, hominem vestitus, homo apparuit. « Omnes gentes, » plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis (a), » quoniam, « Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis, » cujus potestas super humeros ejus, et vocabitur nomen » ejus magni consilii Angelus, Deus fortis, Princeps » pacis, Pater futuri sæculi (b). » Hodie, Fratres, Esaiæ prophetæ completa est Scriptura, dicens: « Ecce Virgo » in utero concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen » ejus Emmanuël, quod est interpretatum: Nobiscum » Deus (c). » Hodie Habacuc sanctissimi oracula olim prædicta completa sunt, qui ante Christi adventum prophetans dicebat: « Domine, audivi auditionem tuam et » timui, consideravi opera tua, et expavi (d). » Et quasi aliquis eum exquireret, quam Domini operam pertractans expavesceret, adjungens, cum sequentia ait: « In medio » duorum animalium innotesceris (e), » id est, in præsepio, ubi bos et asinus vescunt fœnum et paleam, Herodem fugiens occultaberis.

II. Ecce, Fratres, ad quam lætitiâ nos hodierni diei festivitas perduxit; ecce ad quale gaudium nos Christi misericordia provocavit, ut qui prius « Sedebamus¹ in » tenebris peccatorum et in umbra mortis (f), » lumen Christi hodie oriretur nobis, ut merito ex hoc « filii » Dei nuncupemur, et simus (g). » Ecce quod nobis præstitit « In principio Verbum, » et quod « Verbum erat » apud Deum, et Deus erat Verbum, » ut ille « Per » quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil (h), » hodie se nascendo humiliaret, et nos perditos exaltaret; hodie se in terris manifestaret, et nobis cœlestem viam demonstraret. O quanta exultatio præsentis diei? quanta

(a) Psal. XLVI, 2. — (b) Isai. IX, 6. — (c) Id. VII, 14. — (d) Habac. III, 2. — (e) Ibid. juxta LXX. — (f) Isai. IX, 2. — (g) I Joan. III, 1. — (h) Id. I, 1-3.

¹ Cod. male sedebamus.

humano ore narrari non possit; et quoniam ineffabile est, quod nobis hodie gratuita sua Nativitate præstitit Christus, etsi ad plenum tanto muneri laudando Deum vicissitudinem reddere non valemus, tamen in quantum possumus, in quantum vires nostræ suppetunt infirmitatis, gratiam in commune Christo Domino referamus, « Præoccupando faciem ejus in confessione, et in psalmis » jubilando (a); » et¹ dicat ei cor nostrum, dicant et labia nostra; prorsus ab hac laude nullus sileat, nullus tacendo ingratus existat: Gratias tibi, Christe, Salvator noster, Redemptor et adjutor noster, mundi gubernator et rector, qui cum esses cum Patre et sancto Spiritu, omnibus in cœlis Imperator, pro nobis formam servi suscepisti.

III. Unde, Fratres, quantum nobis beneficium hodie sit præstitum, ipso Christo juvante, vestræ charitati, brevi licet sermone, ostendimus, pro quibus donis sempiternum jam regnum ab hodie cogitate; æterna dona spe firmissima concupiscite; Angelorum consortium, Sanctorumque societatem, Christo veniente, requirite. Propter nos enim temporalis effectus est temporum Effector; propter nos apparuit in carne mundi Conditor; propter nos creatus est omnium Creator et Factor. Numquid, Fratres, indignuit Christus, ut hodie nasci per Virginem dignaretur? nostra potius hoc indignuit infelix miseria. Nisi enim se hodie pro nostra miseria humiliaret, non nos ab ipsa miseria liberaret. Vidit enim quod omnis homo cum « Sit cinis et pulvis (b), » palea et stipula, sanguis et flegma, per miseriam interiret, et superbienti diabolo obediret, et Dei mandata negligens præteriret, et regnum cœlorum penitus non introiret. Descendit in carne Verbum, et efficitur homo, ut nos exemplo suo efficeret deos. Didicit

(a) Psal. xciv. 2. — (b) Gen. xviii. 27. — (c) Id. x. 24, 25. — (d) Luc vi. 46.

(e) Joan. iv. 19.

¹ Forte et melius hæc.

enim a nobis ipsam quodam modo Nativitatem suam, et invitat nos ad suam humilitatem: « Venite ad me omnes, » qui laboratis et onerati estis, » quorum cervices grave premit diaboli jugum, id est, superbia, malitia, iniquitas et peccata. Grave est quod habetis, sed « Venite ad me, » hoc est, humiliamini, ut me videtis, « Et ego reficiam » vos (a), » quia nisi prius humiles fueritis, sublimes esse non potestis¹. Projicite ex vestris cervicibus peccatorum sarcinam, quam vobis nunc usque diabolus per suum imponebat imperium, et « Tollite meum suave jugum, et » sarcinam levem (b), » ut meam in omnibus humilitatem sectemini, quam ne tu, cum sis homo et meum figmentum, suscipere dedignareris, prius eam ego carnem induendo suscepi, qui sum Deus, et factor tui figmenti, et per omnia pro vestra salute Patris compleo voluntatem. « Sufficiat jam discipulo, ut sit sicut magister ejus, et » servo sicut dominus ejus (c). » Si magister sum vester, ubi est honor meus? Si dominus sum vester, ubi est timor meus? Si magistrum amatis, opera charitatis ostendite; si dominum timetis, facta timoris monstrate. « Ut » quid enim mihi dicitis: Domine, Domine, et non facitis quod dico (d)? »

IV. Itaque, Fratres, omnes ex hoc unanimes atque concordem natum hodie Christum de Maria Virgine amplectamur; timeamus, laudemus, honoremus, « Diligamus eum, quoniam prior dilexit nos (e). » Si enim gratis nos non dilexisset, hodie ex carne natus non fuisset, et tantam nobis lætitiā suo Natali non exhibuisset. Suscipientes jam Dominum nostrum mente pura, charitate fir-

(a) Matth. xi. 28. — (b) Ibid. 29. — (c) Id. x. 24, 25. — (d) Luc vi. 46. — (e) Joan. iv. 19.

¹ Vide Serm. clxiv. n. 4, et seqq.; xxx. n. 8, 9; xli. n. 8; cxvii. n. 17; cxlii. n. 7, et seqq.

ma, fide immobili, castitate sancta, teneamus eum, ne, peccatis facientibus, a nobis repellemus eum, et ille derelinquat nos, et inopes ac pupilli, discedente Domino, remaneamus; habeat castum cubile nostrum; mundum simus habitaculum; corpus non simus delectabile; templum ejus sumus, quoniam de nobis scriptum est, id est de Christianis fidelibus: « Vos estis templum Dei, et Spiritus Dei habitat in vobis (a). » Si Spiritus habitaverit in nobis, necesse est, ut et Pater simul habitet cum suo Spiritu, quia Spiritus sanctus Patris et Filii consubstantialis est, et ubi Pater et Spiritus sanctus habitaverit, simul cum eis Filium necesse est habitare, quia nec Filius sine Patre aliquando fuit, nec Pater sine Filio fuit, nec Spiritus sanctus sine Patre et Filio aliquando fuit, quoniam Trinitas hæc omnimodo inseparabiliter sibi cohæret, et hæc Trinitas unus Deus est. In nullo jam prorsus Christiano inveniantur actus diaboli.

V. Fratres mei, Filii mei, mutavimus patrem; justum est ut mutemus hæreditatem. Pater noster usque nunc diabolus fuit; jam modo Christus Deus sit, et liberati a peccato, serviamus Deo. Quid adhuc rebus mortalibus oblectamur? Quia fugitivam vitam, si fieri possit, tenere conamur. Spes clarior refulsit in terris, id est, Christus Dominus nasci dignatus est in fine mundi, ut terrenis vita promitteretur in cælis; cujus inflammatae charitate, quidquid in præsentem habere videmur, omnia propter Christum « Velut stercora computemus (b), » et pereunte mundo, ea omnia simul perire cognoscamus. Ne aliquid nobiscum exinde portare certissime sciamus, nisi solummodo opera; quæ hic modo sive mala, sive bona gerimus, nobiscum comitantia in die judicii ante Christi tribunal adportabimus. Unde prompto consilio de rebus transeunti-

(a) 1 Cor. iii, 16. — (b) Philip. iii, 8.

bus atque prætereuntibus æterna nobis præmia comparemus: « Faciamusque nobis amicos de mammona (a), » id est, de pecunia, quam possidemus, « Qui nos reficiant in » æterna tabernacula (b); » hoc est, pauperes, et inopes, debiles, claudos, cæcos, atque omni paupertate circumdatos, nobis amicos faciemus, ut ipsorum adjuti orationibus in regno Christi cum ipsis intromitti mereamur, per Christum, cujus hodie Natalem celebramus, qui sic mirabiliter de Virgine nasci voluit, ut in utero non seminato germen prolis exoriretur, et a complexu carnis viscera immunia Filium hominis proferrent. Quod et in Virgine esset integritas, et in conceptu clausa, et in partu incorrupta Virgo permaneret¹, mira est ista potentia, sed plus est miranda misericordia, quod ille qui sic nasci potuit, nasci voluit. Erat enim unicus Patri, qui unicus hodie natus est matri, et ipse natus est per matrem, qui ante fecit ipsam matrem. Sempiternus ex Patre, hodiernus ex matre, sine quo Pater nunquam fuit, sine quo mater nunquam fuisset.

VI. Exultate, Virgines Christi; consors vestra est Mater Christi. Christum parere non potuistis, sed propter Christum parere nolulistis. Qui non ex nobis natus est, vobis natus est. Tamen si verbis ejus meministis, sicut meminisse debetis, estis etiam vos matres ejus, quæ voluntatem Patris ejus facitis. Ipse enim dixit: « Qui- » cumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater, » soror, et mater est (c). » Exultate, et Viduæ Christi, quia qui foecundam fecit virginitatem, illi vovistis continentiae castitatem². Exultet etiam castitas nuptialis, omnes fideliter viventes cum conjugibus vestris, et quod

(a) Luc. xvi, 9. — (b) Luc. xvi, 9. — (c) Matth. xii, 50.

¹ Quæ sequuntur usque ad finem paucis discrepantibus editum est in Serm. cxv. — ² Edit. melius *sanctitatem*.

amisistis in corpore, in corde servate. Ubi non potest esse a concubitu caro integra, sit in corde virgo conscientia. Proinde quia charitas et pax et justitia Christus est, hunc fide concipite, operibus edite, ut quod egit uterus Mariæ in fide Christi, agat cor vestrum in lege Christi, ut mereamini percipere promissa Christi, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

In Natali Domini X.

Sequens Sermo extractus ex Codice Cass. XII, fol. 13, ab initio usque ad verba: Si ergo Verbum Deus, et homo caro: differt ab illo edito a Monachis sancti Mauri, tom. v, part. 1, fol. 884, Serm. CLXXXVI; cætera vero respondent usque ad finem, exceptis verbis: Ille natus est, ut nos redimeret, id est, Jesus Christus, cui gloria cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. Quæ tamen subjici debent in editione post verba: Congruabat temporalis. Hic ergo hæc sola exemplata sunt, quæ variant in editione.

SYNOPSIS.

I. Nativitas Christi omnibus affert lætitiã. II. Christus ad erigendum genus humanum venit.

I. ECCE Dominus noster hodie natus est¹, et omnis creatura ad gaudium invitatur, dicente Propheta: « Læ- » tentur cœli et exultet terra; moveatur mare, et pleni- » tudo ejus (a). » Cœlos hodie Angelorum choros intellige,

(a) Psal. xxxvii, 7.

¹ Vide Serm. cxcii, n. 1.

qui cœlestium obtinent sedes, qui hodierna die, Pastoribus audientibus, hymnum clamant, dicentes: « Gloria in excel- » sis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (a). » Terram naturam humanam esse cognosce; mare vero omnem mundum, et quæ in eo sunt in commune, Scriptura significat, quibus hodierna die Nativitas Christi immensam lætitiã generavit. Natus est Christus ex Virgine, ut nos nasceremur ex Spiritu sancto. Qui ante omnia sæcula est generatus ex Patre, hodierna die natus est ex Virgine matre. Factus enim ex Matre, permansit in Patre. Nam qui semper est, factus est quod non erat, nec desiit esse quod erat. Factus est namque homo quod non erat, ut ait Apostolus: « Factus ex muliere, factus sub » lege, ut eos qui sub lege erant redimeret (b); » permansit autem Deus esse quod fuerat. Nativitas siquidem, quæ secundum carnem est, et nobis profuit, et illi non obfuit, quia nobis adoptionem filiorum contulit, et ipse in Deitate propria cum Patre permansit.

II. Inclinauit enim se, cum sublimis esset, ut nos, qui incurvati eramus, erigeret. Incurvatus siquidem erat humana natura ante adventum Domini, peccatorum onere depressa. Et quidem se in peccati vitium spontanea voluntate curvaverat, sed sponte se erigere non valebat. Denique incurvationis hujus miserias, quas homo tolerando gemebat, sanctus Propheta deflens exclamat in Psalmis, et dicit: « Miser » factus sum, et curvatus usque in finem, tota die contris- » tatus ingrediebar (c). Tota die, » totum tempus ante adventum Christi significat¹, quo humanum genus quasi incurvatum ambulans contristabatur, quia non inveniebatur qui curvum erigeret, qui lapso² in peccati foveam manum

(a) Luc. II, 14. — (b) Galat. IV, 4, 5. — (c) Psal. xxxvii, 7.

¹ Vide Serm. cccxcii, et Enarrat. in Psal. xxxvii, n. 10. — ² Codex male lapsus.

porrigeret. Propterea Dominus noster advenit, et mulierem illam incurvatam inveniens, quam « Annis decem et octo » Satanæ alligaverat, ita ut se non posset erigere (a), » potestate Divinitatis absolvit. Hæc autem mulier formam incurvationis totius humani generis præferebat. In hac muliere hodie natus Dominus noster, vinculis Satanæ alligatos absolvit, et licentiam nobis tribuit ad superna conspiciere, ut qui olim constituti in miseris tristes ambulabamus, hodie venientem ad nos medicum suscipientes, nimium gaudeamus.

III. Si ergo Verbum Deus et homo caro, etc.. (ut in sermone laudato n. 2. circa medium).

SERMO XVII.

In Natali Domini XI.

Hunc ex duobus Montis-Cassini Codicibus extraximus, nempe ex Cod. xi, fol. 239, et ex Cod. cvi, fol. 5. Uterque habet nomen sancti Augustini; unus inscribitur in Nativitate Domini, alter autem de Assumptione sanctæ Mariæ; nec inde dubitandi locus; inscriptio enim amanuensi, non auctori tribuenda. Sermo est de Natali, quem legendum in Assumptione quidam monachi rescripserunt. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Domini xxiii.

(a) Luc. xiii, 11, 16.

SYNOPSIS.

I. Christus ad salvandum nos de cælo venit. II. Maria mater et virgo. III. Probatur contra Manichæos Mariæ virginitas.

I. SANCTA atque gloriosa solemnitas¹ hodie clara refulsit, et omni generi humano per suum adventum salutem² præsentavit. Vidit Dominus omne sæculum multis peccatis oppressum, et inimici pallentis astutia nimis demersum, et dignatus est ei succurrere per Dominum nostrum Jesum Christum. Non fecit quemadmodum antea faciebat, mittendo Prophetas hominibus prædicare, ut caverent diaboli artes. Vidit Paterfamilias, quia contemnitur per servorum nuntium³; dixit: « Quid faciam, nisi ut unicum ad » eos mittam Filium meum charissimum; forsitan vel eum » reverebuntur (a). » Omnis enim homo, etsi sit justus, habet in se immixtionis⁴ aliquid plumbi, id est, peccati, quibus solet genus humanum implicari, et ideo nemo nobis potuit misereri, « Quia omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi (b). » Mittitur primus Prophetarum Moyses, deinde Aaron, Esaias, Hieremias, Elias, et omnes omnino Prophetæ, et nemo ex eis nobis infirmis conferre potuit sanitatem, nisi videremus Dominum redemptorem. Hic⁵ doluit, ipse ad nos descendit, non habens in se dolum, non peccatum, non plumbi quid commixtum⁶; sed totus justus, totus innocens, totus sanctus, totus fulgens, ut « Argentum igne probatum terræ, purgatum septuplum (c); » qui⁷ nullum in se habebat peccatum, sed per suum adventum damnavit eum, qui

(a) Matth. xxi, 37. — (b) Philip. ii, 21. — (c) Psal. xi, 7.

¹ Cod. cvi, *nativitas*. — ² In eodem deest *salutem*. — ³ Id. *nuntios*. — ⁴ Id. *immixtionem*. — ⁵ Id. *male hoc*. — ⁶ Male idem *plumbiciatur*. — ⁷ Id. *quia*.

« Fecit peccatum (a) et habebat mortis imperium (b). »

II. Tunc impletum est quod dictum est, et jampridem annuntiaverat Esaias propheta dicens: « Ecce Dominus » venit in nubem levem (c); » et quam dicimus esse nubem levem, nisi sanctam Mariam, quæ nullis est facibus peccatorum gravantium ponderata? Ipsa potuit Dominum ferre post cœlum, quæ virgo meruit inveniri post partum. Inclusit se in suo figmento Dominus Angelorum, et veluti gemma emicuit et speciosa apparuit inter filios hominum. Qualis et quanta fuit virgo¹ sancta Maria, quæ potuit portare Dominum, quem non potuit portare terra nec cœlum; bajulavit Dominum in suo corpore², et non sensit omnino onus. Quare non sensit omnino onus? quia lux non habet pondus. Gestabat sancta virgo Maria, quia ita in ea sedit³ Dominus, « Sicut descendit pluvia in vel- » lus (d). » Purgat pretiosam margaritam, et ejus virginitas non sensit aliquam jacturam.

III. Et sunt multi hæretici, multo magis Manichæi, qui dicunt Dominum non potuisse per fœminam nasci. Et Manichæus dicit: Nec Moysen accipio, nec Prophetam. Et quid agis⁴, Manichæe, de Paulo apostolo, qui in exordio Epistolæ quam ad Romanos scripsit: « Paulus, inquit⁵, » servus Jesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in » Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas » suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei » ex semine David secundum carnem (e). » Frustra, Manichæe, conaris adversus Prophetam; ecce Apostolus dicit: « De Filio ejus qui factus est ei ex semine David secun-

(a) 1 Joan. iii, 8. — (b) Hebr. ii, 14. — (c) Isaï. xix, 1. — (d) Psal. lxxi, 6. — (e) Rom. i, 1-3.

¹ In Cod. xi abest *virgo*. — ² Cod. cvi, male *suum corpus*. — ³ Id. *insedit*. — ⁴ Id. *dicis*. — ⁵ In Cod. xi desideratur vox *inquit*. Reliqua jam superius leguntur Serm. ix.

» dum carnem. » Quod Prophetæ præviderunt et dixerunt, hoc Apostoli viderunt et prædicaverunt. Quid erat, et quid factum est¹? Verbum erat, et caro factum est; Filius Dei, filius hominis factus est. Deus erat, homo factus est: suscepit humanitatem, non amisit Divinitatem: factus est humilis, sed mansit sublimis: factus est homo, non destitit esse Deus. Dicit tibi Deus, Creator hominum, Filius hominis: Quid est quod te movet in mea² Nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate; ego matrem de qua nascerer feci: ego viam meo itineri præparavi atque mundavi. Hanc, quam despicias, Manichæe, mater est mea; manu fabricata est mea. Si potui inquinari, cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea nascerer. Sicut in transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic mea ibi non est maculata majestas. Solis radius cloacarum sordes siccare solet, inquinari non novit; quanto magis splendor lucis æternæ, in quo nihil inquinamenti occurrit, quocumque radiaverit, mundare potest, ipse pollui non potest³. Stulte unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem? unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum homine patre? unde sordes in domicilio ad quod nullus habitator accessit? Solus ad eam Dominus venit; vestem quam non habebat induit⁴; quam sicut invenit clausam, ita et reliquit. Sicut ille natus est solus « Inter mortuos liber (a), » sic istius ex qua natus est matris pudor, solus est integer; quia Virgo virginem genuit, et sic virgo permansit: virgo ante partum, virgo post partum. Concepit, et virgo est; mater generat, et virgo perseverat. Eva inobediens meruit pœnam; Maria

(a) Psal. lxxxvii, 6.

¹ Ambo Codices male *quod*. Cod. xi habet solummodo *quid ergo factum est?* — ² Cod. cvi *ea*. — ³ Ultima verba desunt in Cod. xi. — ⁴ Cod. cvi male *induxit*.

obediens consecuta est gratiam, quia genuit omnium credentium Salvatorem; qui vivit cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVIII.

In Natali Domini XII.

Extrahitur ex Cod. Cass. cx, fol. 64, cum nomine sancti Augustini; et ex Biblioth. Laurent. Cod. I, Plut. xiv, fol. 23. (Vid. Bandini, pag. 71, § 22), ubi pariter beato Doctori tribuitur. Excepto exordio, quod in duplici Codice concordat, sed quod in Editis non legitur, similis est in omnibus sermoni II Appendicis sancti Leonis in Editione fratrum Ballerini, jam antea apud Quesnellum pariter in Appendice stampato ex Codice sancti Petri Corbeiensis, ubi sancto Leoni tribuitur. His verbis incipit in Editis: Salvator noster, Dilectissimi, etc.. Ex annotatione vero doctorum horumque criticorum ad Leonem minime pertinet. Pertinet autem ex auctoritate nostrorum Codicum ad sanctum Augustinum, cujus nomen in utroque præfigitur. Ejus locus post præcedentem cum numero in Natali Domini xxiv.

SYNOPSIS.

I. In Nativitate Christi gaudendum. II. Christus Deus et homo natus ex Virgine. III. Christus in Nativitate purus, servata Dei forma, servi formam accepit. IV. Se Deum et hominem operibus demonstravit.

I. GRATIAS ago Domino Deo nostro, Fratres dilectissimi¹, quod quæ² sit diei hujus festivitas docere vos non³ necesse est, qui prævenistis devotione doctrinam. Accesserunt huc hodie etiam prophetiæ atque evangelicæ lectiones eadem rem docentes quam fides vestra docuit vos⁴. Donet ergo Dominus Deus noster, ut concordantibus, sicut hodie, ita omni tempore cum lectione divina actibus vestris, quidquid habuerit sacra auctoritas in præceptis, hoc vos habeatis in moribus. Salvator ergo noster, Dilectissimi, hodie nascitur⁵, gaudeamus: neque enim locum oportet esse tristiæ, ubi natalis est gaudiorum. Ad omnes itaque gaudium istud pertinet, quia Christus omnibus venit. Nullus ergo se lætitiæ diei hujus arbitretur alienum. Si sanctus est quis, gaudeat, quia accipiet remunerationem; si peccator est, gaudeat, quia invitatur ad veniam; si gentilis est, gaudeat, quia admittitur ad salutem. Carnem humani generis pro nobis Deus assumpsit. Si ipsi nos alienos a Christo non faciamus, jam in Christo sumus. Agnoscamus ergo redemptionem nostram; agnoscamus salutem nostram. Ipse se alienum a consortio Christi efficit, qui se esse in corpore Christi denegaverit. Sed illud, Dilectissimi, quod secundum Scripturas, quæ lectæ sunt, hodie Dominum natum esse cognoscimus, videamus; quomodo in fine sæculi na-

¹ Hæc verba desunt in Cod. Laurent. — ² Cod. Cass. male *quodque*. —

³ Deest vox *non* in Cod. Cass. male; in Cod. Laurent. *doceri*. — ⁴ Hæc verba desunt in Cod. Cass. — ⁵ Edit. et Cod. Laur. *natus est*.